



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R. P. Thomæ Comptoni Carleton, Cantabrigiensis,
Societatis Jesu, In Collegio Anglicano Leodiensi Sacrae
Theologiae Professoris, Cursus Philosophicus Uniuersus**

Carleton, Thomas Compton

Antverpiæ, M.DC.XCVII.

Prooemium.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95656](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95656)

DISPUTATIONES PHYSICÆ

AUCTORE

R. P. THOMA COMPTONO,

E SOCIETATE JESU.

PRO O E M I U M.



*V*lâ per implexos Dialecticæ calles laboriosâ exactâ & difficili, ad amœnos tandem Philosophiæ campos, Fortunatasq; ut ita dicam, naturæ insulas peruenimus, præta haud paulò ijs jucundiora, quæ proximè à tergo reliquimus, spinis undique, ut vidimus, ac vepribus circumseptâ. In his proinde eò libentiùs, majoreq; cum voluptate spatiabitur animus, quò diutiùs in scabrosis illis asperisq; locis detentus, ac veluti labyrinthis implicatus, huc dudum aspirabat, ubi nihil ad oblectamentum animi, verasq; mentis delicias desideratur. Hic nimirum consonam illam rerum omnium harmoniam cernimus, causarum inter se ad uniuersi fabricam consensionem, accidentium ad substantias, passionum ac proprietatum ad essentias, partium ad totum subordinatiõnem: quæ jucundâ quadam varietate defixos in se detinent intuentium animos, rapiuntq; in amorem sui: imò per ramos ad radicem, per rivulos ad fontem; per effectus ad rerum omnium auctorem ac opificem mens confurgit, & uniuersi hujus conditoris, ex ijs, quæ mundo inprimit, sui vestigijs, maiestatem, magnitudinem, potentiam, reliquasq; perfectiones inuestigat. Est ergo humanarum diuinarumq; rerum indagatrix Philosophia, quæ ita hominis animum humi iacentem erigit, optimisq; disciplinis, ac veluti quibusdam è calo derivatis igniculis imbuit, ut tum demum spirare homines censerentur, dum auram primò Philosophicam ducerent. Sed nunc ad rem ipsam accedamus.

Tum demum spirare homines censerentur, dum auram primò philosophicam ducerent.

DISPUTATIO PRIMA.

SEU

PRO O E M I A L I S.

De ijs quæ ad octo horum librorum explicationem præmitti solent.

I. Quid sit Philosophia.



*D*efinitio Philosophiæ ab Aristotele desumpta, & à S. Augustino probata ac laudata, est, Philosophia est humanarum diuinarumq; rerum cognitio: humanarum, id est earum rerum quæ ex materiali concretione coalescunt, ut quæ sub Physicam cadunt, & Mathematicam: diuinarum, id est earum quæ supra omnem materialem concretionem sunt. De prioribus nobis hîc potissimùm erit sermo.

R. P. Th. Comptoni Philosophia.

SECTIO I.

Quodnam sit Objectum hujus scientiæ.

*P*hilosophiam latissimè sumptam cum principe suo Zenone diuiserunt Stoici in *Rationalem*, quæ eadem est cum Dialecticâ; *Moralem* seu *Ethicam*, quæ ad mores spectat; & *Naturalem* seu *physicam*, cujus hîc objectum inquirimus.

Triples Philosophiæ diuisio.

Dico primò: subjectum adæquatum *Aggregatiõnis*